



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 136. Sententia adversus Joannem Cordis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



Sæcul. XV. cobus Chabannius ipso obsidionis tempo-  
 A.C. 1453. re occubuerunt, non sine ingenti cete-  
 rorum luctu. His peractis suprema A-  
 quitanniæ Præfectura nomine Regis com-  
 missa est Claromontio, cujus imperio si-  
 mul adjecta est validissima militum ma-  
 nus, qua omne seditionis periculum  
 præverteret, turbasque sedaret. Cum  
 vero hæc urbs non modo commercii op-  
 portunitate, sed etiam conjugiorum fre-  
 quentia arctiorem cum Anglis teneret  
 societatem, ideo Rex ad continendam a-  
 nimorum inconstantiam duas arces, seu  
 propugnacula anno sequenti erexit, quo-  
 rum unum extremæ urbis parti, alte-  
 rum flumini adjacet.

## §. CXXXVI.

*Sententia adversus Joannem  
Cordis.*

*Joa. Chart.  
Hist. Car.  
Vll. p. 281.* Die decima nona Maji Cancellarius  
 Franciæ, Rege præsentem sententiam  
 pronuntiavit adversus Joannem Cordis,  
 his articulis comprehensam: Illius bona  
 Fisco adjiciantur; vitæ gratia ei fiat, sed  
 Christianum adolescentem, quem Sara-  
 cenis tradiderat, ex ipsorum manibus, si  
 id adhuc fieri possit, quoviscunque demum  
 pretio redimat; sin minus, alium Chri-  
 stianum ex Turcarum servitute soluto ly-  
 tro liberet; ob pecunias a Regiis subdi-  
 tis

*Monstrelet.  
vol. 3.*



tis exactas centenis aureorum millibus <sup>sæcul. XV.</sup> mulctetur, reliquis suis quibuscunque bonis <sup>A.C. 1453.</sup> ærario Regis addictis. Insuper omnibus honoribus, atque muniis privetur, & ad quæcunque impofterum obeunda incapax, perpetua etiam exilii poena ex tota Francia ejiciatur; ac denique pedibus, & capite nudus manu facem decem librarum gestet, veniamque roget. Nihilominus mense Augusto Anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi septimi a Rege quorundam bonorum suoruna restitutionem impetravit, quibus mox dividendis in Orientem profugit, ubi vitam suam adversus fidei Christianæ hostes profudit, ut constare videtur ex illis verbis, quæ in Ecclesiæ Bituricensis Sacristia, sumptibus ejus extracta, insculpta leguntur: *Dominus Jacobus Cordis miles, Ecclesiæ Capitaneus generalis contra Infideles &c.* Unus ex Filiis ejus erat Joannes Archiepiscopus Bituricensis, Vir insigni pietate, & doctrina, atque in Ecclesiis suæ Dioecesis munificentia celebris.

## §. CXXXVII.

*Theologus de veneficio delatus, ac damnatus.*

Sub hæc etiam Guilielmus Edelinus *Chart. loc. Theologiæ Doctor Prior ad S. Germanum de Laja quondam Ordinis S. Augustini* *cit. p. 281.*